

## Die Urkunden Karls des Großen, 284

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Karolus divina favente clementia imperator augustus. Si nos, qui imperiali magnitudine prelati sumus, necessitates ecclesiarum dei ad petitiones venerabilium presulum nostro relevamus iuvamine et res subtractas redintegramus et nostra auctoritate reddendo restauramus, id nobis ad eternam vitam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Ideoque noverit omnium sanctae dei ecclesiae nostrorumque fidelium industria, qualiter nos pro amore dei et veneratione beati Remigii Francorum apostoli ad petitionem domni et patris nostri Thilpini, Remorum archiepiscopi et abbatis, concedimus et confirmamus sancto Remigio quasdam res, quas venerabilis Momiana neptis mea eidem sancto dedit in pago Evocinse in ducatu Waverinse in loco qui dicitur Sinciniago sive in monte Leutberto cum omnibus rebus ad easdem villas pertinentibus. Concedimus etiam et imperiali auctoritate confirmamus et donamus eidem glorioso Francorum apostolo quandam forestam nostram que Wavra vocatur, quam nobilissimus comes Angelbertus cognatus meus eidem sancto tradidit, sed quia de camera et feodo imperiali erat, nos confirmare rogavit. Eandem itaque regiam forestam Wavram cum omnibus villis, que in ea sunt, scilicet Halisca, Milimbrica et Brunnum, Seuberlara et Letoina et Soalnea et Bersela et Rahisco et Salsitlo et Nera et Rimhamna et Alon et Urna seu Walciteia et Aldina et Blarica, Netosa et Andratina, etiam et Cruptinum et Urinia cum omnibus mansis domibus casis cortibus edificiis olcis eampis pratis pascuis aquis aquarumque decursibus mobilibus et immobilibus, cum omni venatione et porcorum pastione et insuper omnem regalem iusticiam ecclesiae sancti Remigii Francorum apostoli integre transfundimus et confirmamus cum omnibus, que ad forestam eandem pertinere videntur. Unde et hoc nostrae auctoritatis preceptum exinde fieri iussimus, per quod decernimus atque sancimus, ut nostris successorumque nostrorum temporibus prefatae res ad prescriptum sanctum locum perpetua stabilitate inviolabiliter permaneant nullusque habeat potestatem exinde aliquid minuere vel subtrahere. Et ut hec auctoritas pleniorum in dei nomine obtineat firmitatem et per futura tempora verius credatur et diligentius observetur, manu propria subter eam firmavimus et anuli nostri impressione signari iussimus.

Signum Karoli serenissimi imperatoris.

Segbinus notarius advicem Luitwardi archicancellarii recognovi et subscrispi.

Data II kal. iulii anno ab incarnatione domini DCCCXII, indictione VI, anno vero regni domni Karoli augusti XLVI, imperii autem XIII; actum Leodio; in dei nomine feliciter.